

## Elenchus Auctorum.

\* **D. AMEDEVS** Castro costa iuxta Viennam Allobrogum originem duxit. Morum integritate, litterarum institutione, virtutum decore, stirpis generositatem superans, ordinem Cisterciensem professus, Abbas præficitur. Vixit temporibus Eugenij tertij Pontif. Max. Conradi secundi & Friderici primi Imperatorum. Scripsit homilias octo in laudem Virginis Mariæ: Præfuit Lausanensi Ecclesiæ annis quatuordecim. Mortuus illic est & ante altare sanctæ Crucis in æde D. Mariæ, sepultus. *Eius homiliæ habentur vna cum operibus SS. Leonis Magni, Maximi Taurinensis, Petri Chrysologi, &c. in fol. Lugduni ex officina Landriana apud Claudium du Four & Claudium Capaillon. ann. sal. 1633.*

\* **ANDREAS** Episcopus Cretensis Hierosolymitanus, orationes duas habuit in festo exaltationis S. Crucis. *quæ sunt editæ in Supplemento Bibliothecæ Patrum, in fol. Parisijs apud Agydium Morel- lum ann. 1639.*

**D. ANDREAS** Hierosolymitanus, vel ut alij volunt, Cretensis Episcopus. Vixit Iustino 2. Imperat. ann. 550 *Sermo ipsius Annunciationem Dei paræ habetur, Tom. 2. Biblioth. Patrum, Bignai, Parisijs 1610. in fol.*

**S. ANASTASIUS** SINAITA Patriarcha Antiochenus, cuius honorificè meminit sexta Synodus, Vixit Tempore Iustiniani Imperatoris. Claruit ann. 544. *Extant eius opera impressa Ingolstadtj 1606 in 4. Et apud Petrum Steuarnitium Tomo singulari insignium Auctorum. &c. Ingolstadtj 1606. Et Tom. 1. Biblioth. Patrum Bignai 1610. in fol.*

\* **S. ANSELMVS** AVGVSTANVS Pedemontium, ductore Lanfranco Becci in Normania Monachus Ordinis Cisterciensis, tum Prior, deindè Abbas; Tandem Cantuariensis in Anglia Archiepiscopus creatus. Vir fuit ingenio acerrimus, sanctitate celeberrimus, miraculis conspicuus floruit sub Urbano 2. Pontifice, & Henrico 3. Imperat. Obijitque vndecimo Kal. Maij anno 1109. *Edita sunt eius opera Colonia Agrippinæ 1612. in fol. quatuor Tom. comprehensa.*

\* **S. ANTIQCVS** Palestinus Mo-

nachus, & postea Abbas Lauræ S. Sabbæ. Vir probatæ sanctitatis & doctrinæ. Vixit ad tempora vsq; Heraclij Imper. an. 614. Plura scripsit quàm habeamus ad manus. *Eius homilia; habes recensitas Tom. 42. Biblioth. Patrum Gofrido Vilmano Carthusiano Parisiensi interprete, cum quibusdam Epistolis. Colum. 183. & sequent.*

\* **S. ANTONIVS DE PADVA** Origine Lusitanus, professione religiosus ex ordine Minorum, dicendi sapientiâ & zelo prædicationis, Arca testamenti & diuinarum armarum scripturarum à Gregorio 9. summo Pontifice meruit dici. Claruit circa annum 1220. Obiit verò anno salutis 1231. *Eius opera excusa habentur vna cum operibus S. Francisci Assisiatius, in fol. Parisijs apud Carolum Rouillard ann. 1641.*

**ARNOLDVS** CARNOTENSIS Abbas Bonæ vallis, vir pietate & scientia ornatus. Vixit tempore D. Bernardi, eiusque familiaris, ann. 1160. Tritemio, Illustrissimo Cardinali Bellarm. 1177. Arnoldo VVion 1190. *Eius opera habentur Tom. 1. Biblioth. Patrum, 1610. in fol.*

**S. ASTERIVS** Episcopus Amasenus, cuius meminit secunda Synodus, & Photius in sua bibliotheca. Floruit circa initium sæculi quinti. *Homiliæ ipsius impressæ extant Antuerpiæ 1615. in 4. Gr. & Lat.*

**S. ATHANASIUS** Alexandrinus Archiepiscopus, Ecclesiæ firma & immobilis columna, incredibili patientia insignitus, doctrina elarus, virtute conspicuus. Vixit tempore Constantini Magni Imperatoris. Floruit anno Christi 340. ad Dominum migravit sub Valente. *Eius opera in duos Tomos tributa prodierunt ex officina Commeliani ann. 1601. in fol. Gr. & Lat.*

**S. AVGVSTINVS** Tagastæ natus, natione Afer, Hipponæ Episcopus Magna scriptis & verbo docuit, maiora fecit; vir planè incomparabilis. Floruit sæculo quinto circa annum 420. Obiit ann. 433. ætatis suæ 76. *Eius opera excusa sunt Parisijs apud Carolum Guillard 1541. in fol.*

**A Y M O I N V S**, siue Annonius, vel Ammonius, seu Haimoneus, aut Hai-